



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 60. De Ejusdem lucubrationibus posteritati relictis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

**Sæc. XVIII.** factus, hoc nuntio mirifice lætabatur,  
**A. C. 1726.** moxque confessione peracta, ac Divino  
 epulo munitus, animo supra morientis  
 fidem & morem intrepido quietus po-  
 stremam vitæ horam præstolabatur.  
**Adventantem** ad se Benedictum XIII.  
 perdemisse rogabat, ne morti proxi-  
 mum Pontificia Majestate ac splendore  
 perturbaret. Ita demum die decima  
 nona ejusdem Mensis animam Auctori,  
 a quo conditam acceperat, placide  
 transmisit: cum annos vitæ numeraret  
 septuaginta duos, Cardinalatus vero  
 quatuordecim.

### §. LX.

*De ejusdem lucubrationibus posteri-  
 tati relictis.*

Inter præcipua, quæ Ptolomæus po-  
 steris reliquit monumenta recen-  
 sentur, I. ejus *Philosophia mentis & sen-*  
*suum secundum utramque Aristotelis me-*  
*thodum pertractata metaphysice & empi-*  
*rice*, quæ primo Romæ, postmodum  
 Augustæ & Dilingæ plurimum aucta  
 prodiit. II. *Conclusiones Polemico-Dog-*  
*maticæ de Christo*. III. *Vindiciæ & an-*  
*notationes in Bellarmini controversias*,  
 quæ nondum publicam lucem aspexere  
 ob Censorum difficultatem. IV. Scri-  
 pserat etiam celebre opus, in quo juxta  
 tex-

textum Originarium plurimos , eosque <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 difficillimos S. Paginæ textus dilucida-  
 vit. Extant insuper quædam Synopses  
 Historiæ universalis profanæ & Sacræ,  
 dogmata ex Conciliis collecta , & flo-  
 rilegia ex S. Patribus Græcis ac lati-  
 nis præter compendium Commentarii  
 Theologici Patris de Valentia & ex-  
 cerpta quædam ex recentioribus Theo-  
 logis & veteribus Poetis , quæ omnia  
 nondum edita Patri Joanni Philippo  
 Ptolomæo fuere consignata. Denique  
 typis vulgavit Anconæ orationem ,  
 quam in funere Nicolai Bona Ragusii  
 habuit.

## §. LXI.

*Laurentii Flisci Cardinalis de-  
 cessus.*

Laurentio,cujus obitum hoc anno luxe-  
 rat Roma, natale solum erat. Genua-  
 Parentes habuit de illustrissima sane  
 familia, Patrem Innocentium Co-  
 mitem de Lavania, Matrem Mariam  
 Joannam de Carmagnola, claram genere  
 nomineque fæminam, nec suarum vir-  
 tutum præstantia Marito imparem.  
 Horum summa cura educatus, una-  
 cum lacte ea virtutis semina imbibit.  
 quæ in omne tempus animo adhæ-  
 sere. Decimum ætatis annum agebat,

Y 4

cum